

*rentis, sed Dei miserentis.* Ex quo solet Augustinus concludere non esse hominis volentis aut currentis, sed solius Dei miserentis, quia si esset etiam hominis currentis et volentis, non debuisset Paulus absolute negare, totumque Deo tribuere; nam alias etiam possemus nos Deo id negare, et totum homini tribuere, dicendo: Non est Dei miserentis, sed hominis volentis et currentis; eodemque modo subintelligendo: Non est solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis. Quod tamen absurdum esse reputat Augustinus, et revera est, et tamen sequi videtur ex nostra sententia, quia dicimus nostrum velle et consentire revera esse nostræ determinationis, propriique influxus, licet non solius, sed cum Dei adjutorio. Non ergo hoc admitendum est, sed totum est tribuendum Deo, juxta illud 1 Corinth. duodecimo: *Omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.*

Respondetur non esse dubium quin loquendo de sanctificatione hominis adulti, illa sit aliquo modo hominis volentis, et quod cursus per viam salutis sit etiam hominis currentis, alioqui talis cursus et conversio non fierent libere. Quo sensu Gregorius Nazianzenus illa verba interpretatus et quasi moderatus est, dicens: Non est solius hominis volentis. Potuisset etiam adjungere: Non est primo ac præcipue hominis volentis aut currentis, sed Dei miserentis; et sic effugeret Augustini objectionem; nam hac ratione non potest e contrario dici: Non est Dei miserentis, sed hominis volentis, quia insinuat hominem esse primariam causam salutis suæ, licet non solum, quod etiam falsum est. Atque ita videtur illum locum expedire D. Anselmus, tractatu de Concordia, c. 3. Alia vero expositio, quam Augustinus præferre videtur, estque satis consentanea intentioni Pauli, est ut verba illa intelligantur secundum ordinem divinæ electionis et prædestinationis; quia, ut Augustinus dixit, lib. 83 Quæstionum, quæstione 68, licet quis possit sibi attribuire (aliquo scilicet modo) quod veniat vocatus, non tamen potest sibi tribuere quod vocatus sit; quia hoc solius Dei est. Igitur multo minus potest homo sibi tribuere quod sit vocatus vocatione alta, secreta et congrua, quia, si vocatio non est in hominis potestate, profecto discretio vocationis, et quod hæc potius quam illa ipsi detur, multo minus erit in hominis potestate. Sic igitur non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quod ad volendum et

currentium homini fuerit talis gratia præparata, quæ illum et velle et currere faciat.

Nec solum ratione vocationis congruæ ad volendum, sed etiam subsequentis gratiæ aptæ ad perficiendum quod voluerimus, verum est quod Paulus ait: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, sicut a Sapiente dictum est, Proverb. 16: *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam;* Et iterum: *Cor hominis disponit viam suam, sed a Domino gressus ejus diriguntur.* Certum est enim non ita dici hominem præparare animam aut cor disponere, ut hoc solus faciat sine Dei adjutorio, sed solum quia libere hæc facit. Quod ergo subditur, Deum gubernare linguam vel dirigere gressus, intelligitur tribui soli Deo, qui per aliquam gratiam, subsequentem quidem, respectu prioris vocationis et præparationis hominis (prævenientem vero respectu ipsius operis et perfectionis ejus), solus dirigit gressus hominis, vel confortando amplius voluntatem, ut in proposito cœpto perseveret et progrediatur, vel ipsam potentiam etiam executivam, linguam, verbi gratia, dirigendo et gubernando, ne ab intento proposito discrepet aut impediatur. Et quamvis fieri possit ut per propriam voluntatem et gratiam homo mereatur hanc consequentem, sæpe vero necessarium est ut Deus sua libertate aliquid addat, præsertim ad salutem cum perseverantia retinendam, et ratione illius gratiæ, quæ a Deo etiam accommodata præparatur, verissime dicitur: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.*

*Decimum quintum testimonium.* — Quo sensu etiam dictum est ab Jeremia, capite decimo: *Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos.* Quæ verba etiam hæretici urgent contra liberum arbitrium, et fautores physicæ determinationis ea in suum favorem arripiunt; sed oportet ut vel hæreticos vincere sinant, vel nostras responsiones admittant. Duobus ergo modis verba illa Patres interpretati sunt, ut notavit D. Thomas, quæstione sexta de Malo, ad 1: primo, de via hominis quoad progressum et executionem ejus in ipsamet exteriori actione, ut in verbis Sapientis paulo ante dicebamus. Nam ego cum divina ope dispono et præparo quæ locuturus vel hic scripturus sum, et tamen nisi ipsamet linguam vel manum Deus dirigat et gubernet, non potero sine aliquo errore aut lapsu docere vel scribere. Simili modo dux strenuus præparat se et exercitum suum

ad bellum; tamen nisi in ipso actuali conflictu Deus dirigat et adjuvet, actum est de victoria. Itaque, juxta hanc expositionem, sensus illorum verborum est: Non est in potestate hominis exequi quod mente deliberat, et sic nihil contra nos continent. Estque hic sensus valde consentaneus textui, et ad commendandam necessitatem gratiæ subsequentis utilissimus. Quia non solum gratiæ Dei est inspirare bonum propositum, sed etiam offerre opportunitatem exequendi illud, et ita gubernare hominem ut perficiat quod proposuit juxta illud: *Deus est qui dat velle et perficere.* Sicque dixit Hieronymus, dialog. 3 contra Pelagian.: *In Domini potestate est ut id quod cupimus, quodque laborare admittimus, illius ope et auxilio adimplere valeamus.* Alio sensu intelliguntur illa verba, etiam quoad ipsum interiorem consensum seu propositum nostræ voluntatis, et sic dicitur non esse in hominis potestate via ejus, quia non est in illius potestate habere vocationem et excitationem, sed divini hoc est muneris; quem sensum ibi Hieronymus amplexus est. Sunt tamen duo notanda: unum est, quod sola prima excitatio non sit in hominis potestate, quia si bene utatur prioribus, posteriores accipiet; aliud est, quod, licet præparatio cogitationis vel vocationis congruæ ex sola Dei misericordia sit, nihilominus ex culpa hominis esse quod vocatio illius congrua non sit. Et utrumque significat Augustinus, libro secundo de Peccatorum meritis, capite decimo septimo, cum dixit: *Gratia Dei est, quæ adjuvat bonam voluntatem, qua ut non juvenetur in ipsiis itidem causa est, non in Deo;* quod ex hoc loco ipso Jeremiæ colligitur, quia in eo statim subjicit: *Verumtamen corripe me in judicio.* Igitur juxta Augustinum, licet non sit in homine via ejus quantum ad excitationem, est quantum ad determinationem et cooperationem; et ita quando Deus actu non juvat et dirigit viam ejus, ab hominis libertate culpa provenit, et ideo necesse est ut oret: *Corripe me, Domine, in judicio.*

Decimum sextum testimonium sumitur ex illo 1 Corinth. 4: *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Ubi Paulus vult discretionem inter justum et injustum non esse ab homine, sed a solo Deo. Et ita Augustinus, quæstione secunda ad Simplicianum, ex hoc loco probat discretionem hanc non esse ex operibus, sed ex gratia et sola Dei misericordia. Idem latius de Prædestinatione Sanctorum, capite quarto et

quinto. Respondeo breviter eundem sensum esse hujus loci et præcedentis. Duobus enim modis intelligi potest discretio inter justum et injustum: uno modo in executione, alio modo in intentione, seu uno modo proxime et formaliter, alio modo remote seu in radice. Et utroque modo verum est hominem non se discernere, absolute et simpliciter loquendo, sed divina gratia discerni, diverso tamen modo; nam loquendo de proxima et formalinæqualitate inter justum et injustum, prout in re ipsa fit, illa quidem, ex parte ejus qui justificatur, principaliter fit ex gratia, sed non omnino seu non ab illa sola, sed cooperante etiam libero arbitrio. Quod secundum fidem negari non potest, quia hæc discretio formaliter per hoc choatur, quod unus est pœnitens, alius impœnitens (de adultis enim loquimur), unus consentit gratiæ vocanti, alter non consentit; certum est autem discretionem hanc in utroque dependisse a libero arbitrio, sed aliter et aliter; nam in eo qui non convertitur, causa est solum liberum arbitrium; in altero vero qui consentit, causa est gratia, sed non sine libero arbitrio. Unde quia ipse bonus usus liberi arbitrii principaliter est a gratia, ideo Deo principaliter tribuitur, et ita est donum Dei, nec habet homo unde in se gloriatur, sed in Deo. At vero loquendo de hac discretionem in radice, est a sola gratia et a sola misericordia Dei. A sola quidem gratia, quia est a gratia excitanti efficaci, non quidem per physicam prædeterminationem, sed per vocationem congruam. A misericordia autem Dei, quia est ab electione æterna, vel ad gloriam, si sit justificatio finalis vel usque ad finem perseverantia, vel ad gratiam temporalem, si usque ad finem conservanda non sit. Quid autem horum intenderet Paulus, vel an utrumque simul, vel etiam voluerit docere discretionem hanc esse hominibus incognitam, et ideo neminem debere esse ita temerarium, ut se ab alio, tanquam justum ab injusto discernat, quia hoc negotium ad Deum pertinet; vel quidquid aliud sub verbis illis possit pie intelligi, non est nostri muneris nunc exponere; certum vero est, quocumque sano modo intelligatur, non physicam prædeterminationem, sed divinam gratiam liberaliter collatam vel electionem ibi accommodari.

Decimum septimum sumitur ex verbis Pauli Rom. 9: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Quæ verba significant totum esse in voluntate Dei nostram determinan-

te. Sed nullus Patrum ita interpretatur. Sensus ergo quoad priorem partem est idem qui aliorum verborum : *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Quoad posteriorem partem, impie plane exponeretur de induratione per positivam actionem Dei prædeterminantis omnino voluntatem humanam ad pravam actionem privative; ergo nomine obdurationis intelligit Paulus negationem illius misericordiæ, quam Deus confert cui vult, id est illius vocationis, cum qua cor esset emolliendum et sanandum, ut tractat latius Augustinus, dicta quæstion. 2 ad Simplicianum, et sæpe alias, estque res satis vulgaris.

*Decimum octavum testimonium.*—Decimum octavum sumitur ex illo Joannis 15 : *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, ita nec vos nisi in me manseritis*; juncto illo Rom. 11 : *Non tu radicem portas, sed radix te*. Ex quo volunt colligere, sicut tota virtus palmitis est ex vite, nec potest aliter vel alium fructum ferre, quam juxta virtutem ministratam ex vite et ex radice, ita homo nec aliquid boni operatur, nisi prout ex divina gratia illud recipit, a qua perinde determinatur ad modum et qualitatem fructus; sed hoc ultimum sine ulla ratione vel consecutione adjungitur. Nam exempla et metaphora assumuntur ad explicanda ea in quibus est similitudo, non ad omnes proprietates unius rei alteri attribuendas. Itaque in priori testimonio imprimis docet Christus ipsum esse vitem, nos palmites, quia tota supernaturalis virtus ab illo in nos manat, et nisi illi simus per fidem et charitatem conjuncti, nihil boni operari possumus quod fructuosum sit ad vitam æternam. Hinc autem solum inferri potest quod Tridentinum Concilium, sessione sexta, capite decimo quinto, intulit, Christum Dominum, tanquam vitem veram, in ipsos justificatos tanquam in vivos palmites jugiter virtutem influere, quæ virtus eorum bona opera semper antecedit et comitatur, et subsequitur. Quod autem per hanc gratiam voluntas hominis justi ita determinetur, ut fructum necessario ferat, et non libere, sicut illud fert materialis palmes, id nec Concilium intulit, nec in metaphora innuitur; quin potius oppositum ex ipsamet metaphora colligi potest si cum debita proportionem et intelligentiam sumatur. Nam palmes, ut ferat fructum, aliquid cooperari debet, sugendo alimentum ex vite, et inde ad productionem fructus elaborando. Sic ergo, licet justus nisi in Christo

et per Christum fructificare non possit, cooperari tamen in Christo debet, ut fructificet. Uniuscujusque autem operatio debet esse accommodata et operanti, et fructui quem ferre debet. Et ideo, sicut materialis palmes operari debet, prout a sua natura specifica determinatur, ita moralis palmes prout sua voluntate adjuta per influxus vitis determinatur. Sicut etiam Paulus dixit : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, 1 ad Corinthios tertio; et tamen non propterea putandum est spirituale augmentum naturaliter fieri, aut sine nostra determinatione libera, sed cum proportionem debita sumenda est metaphora. Atque idem dici posset de alio testimonio : *Non tu radicem portas*, si per radicem Christum intelligamus, ut intelligi potest, quanquam ad litteram posset ille locus aliter intelligi.

*Decimum nonum testimonium.*—Decimum nonum sumitur ex illo Joannis quinto : *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Audire enim ibi significat cum fructu et consensione audire, ut ex verbis et intentione Christi constat. Hoc autem tribuit Christus soli Deo, nam dicit, esse ex Deo, ita esse adæquatam causam hujus effectus, ut contrarium, scilicet non audire, utique obedienter, ex contraria causa nascatur, quia, scilicet, non estis ex Deo. Hoc autem esse ex Deo, nihil aliud esse potest nisi esse a Deo electos et efficaciter determinatos. Respondetur neque expositionem esse ad rem, neque illationem bonam. Nam imprimis voluntarie exponitur : *Qui ex Deo est, id est, qui est a Deo prædestinatus*; alias falsa esset causalis quam Christus subjungit; haberet enim hunc sensum : *Vos non creditis, quia non estis prædestinati*; quod esset Deo attribui hominum infidelitatem; quod multo evidentius sequitur, si cum prædestinatione conjungatur prædeterminatio, ut isti volunt; nam si prædeterminatio Dei est necessaria ad credendum, vel se disponendum ad fidem, et ideo vere dicuntur Judæi non credidisse, quia non fuerunt prædestinati, plane non possunt ob eam causam reprehendi, cum determinari non fuerit in eorum potestate. Igitur esse ex Deo, proprie non est nisi obtemperare Deo, partes ejus sequi, habere denique voluntatem placendi illi; qui enim hanc habet, verbum ejus audit cum fructu et assensione; unde qui non sic audit, ex Deo non est, sed ex diabolo, cui obtemperat ejusque ductum sequitur, ut ibidem dicitur. Ex qua col-

latione, inter eos qui sunt ex diabolo vel ex Deo, intelligi etiam potest non esse hic sermonem de reprobatione aut prædestinatione, multoque minus de prædeterminatione physica. Nam esse ex diabolo non est esse reprobos; nam multi sunt reprobi, qui multo tempore non sunt ex diabolo; esse ergo ex diabolo est esse illi subjectos vel amicos per peccatum; ergo, et e contrario, esse ex Deo non est esse prædestinatos, nam multi sunt prædestinati, qui aliquo tempore non sunt ex Deo, sed ex diabolo, et vocem ejus audiunt. Similiter, esse ex diabolo non est prædeterminari a diabolo ut illum sequantur, ut per se constat; ergo nec esse ex Deo.

Sed esto esse ex Deo, vel non esse, sit esse vel non esse prædestinatum; illam enim expositionem non possumus negare esse Augustini, tractatu quadragesimo secundo in Joannem, quem secutus est Gregorius, homilia decima octava in Evangelio; ideoque etiam illa supposita necesse est huic testimonio satisfacere. Quod ergo ad prædestinatos pertinet, facile admittimus, cum ex Deo sint, verba Dei audire, quia ex vi electionis divinæ ita moventur ut audiant, non quia prædeterminentur, sed quia congrue vocentur. Quod vero spectat ad reprobos, necessario dicendum est signum illud, *propterea*, non dicere causam rei, sed meram illationem; non enim quia homo non est electus, vel prædestinatus, ideo non credit, imo nec ideo vocatio ejus incongrua est, sed, quia suo arbitrio resistit, ideo non credit, et inde vocatio ejus cassa fit et inopportuna; tamen infallibile est ut qui non est prædestinatus majorem vocationem non habeat, utique ad id ad quod prædestinatus non est, ac proinde ut non credat, si ad fidem non est electus. Hoc autem non est infallibile, quia ex parte hominis sit necessaria præelectio ad operandum, sed quia Deus ita suam electionem attemperavit, maxime in ordine ad gloriam et impoenitentiam finalem, de qua potissime loquitur Augustinus. Non enim dubitabat Augustinus quin inter illos, qui tunc audiebant Christum, quando illa verba protulit, multi essent prædestinati, qui tunc erant duri et increduli, et alii reprobi, qui fortasse credebant et postea retrocesserunt; sed loquitur de prædestinatis et reprobis respective, id est ad tale donum vel secundum tale tempus; aut si loquitur de electis simpliciter, intelligit etiam de auditione perseveranti, seu quæ cum finali perseverantia tandem conjungen-

da est. Et ita licet expositio difficile accommodetur textui, nihil tamen falsum nec contra nostram sententiam continet.

*Vigesimum testimonium.*—Vigesimum testimonium sumi potest ex illo Ecclesiast. nono : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei*. Nam hæc verba etiam afferunt dicti auctores, et facile interpretantur dici opera justorum esse in manu Dei, quia ab illo prædeterminantur, quibus videtur favere paraphrasis Chaldaica addens : *Et ab eo decretum est omne quod erit in diebus eorum*. Sed certe illa phrasis valde generalis est, et in Scriptura solum significare solet idem ac esse sub Dei potestate, providentiæ ac dependentiæ. Unde Glossa interlinealis addit : *Ab ipso disponitur*. Eo vel maxime quod ipse Sapiens non solum loquitur de operibus quæ justi faciunt, sed etiam de his quæ patiuntur, ut Hieronymus interpretatur, dicens quod, licet sint justi, mala multa patiuntur, et ignorant an ex amore et probatione, an ex odio, seu vindicta ac supplicio patiantur. Solum ergo inde probatur nihil accidere justis, nisi ex speciali Dei providentiæ, etiamsi ipsi ignorent ex quo genere providentiæ, amoris scilicet vel odii, proveniat. Quod autem Chaldaicus addidit de decreto Dei, non oportet intelligi tantum de decreto efficaci ante omnem præscientiam, sed in genere de decreto aliquo divino, sive prædefinitivo, sive permissivo, antecedente vel consequente. Estque necessarium ita exponi, nam statim subdit : *Decretum est omne quod erit in diebus eorum, etiam amor quo dilexit eos aliquis, et etiam odium quo persecutus eos fuerit*; quorum alterum ad prædestinationem pertinere potest, alterum solum ad permissionem, nec Deo physice prædeterminanti attribui potest.

Denique ut finem huic parti imponamus, ad suam opinionem confirmandam accersunt dicti auctores omnia Scripturæ loca in quibus vel efficacitas divinæ potentiæ supra voluntatem humanam, vel singularis ejus providentiæ, qua interdum res humanas, etiam politicas et morales, externasque gubernat, vel necessitas divinæ gratiæ ad inchoandum, prosequendum ac perficiendum opera supernaturalia, vel gratuita Dei electio, prædeterminatio, aut prædefinitio singulariter commendatur. Quæ omnia sine prædeterminatione physica effici a Deo posse ostensum est; imo ita effici debere necessarium est, si libertas arbitrii cum illis conservanda est. Un-

de si aliquando Dei omnipotentia ad hoc extenditur, ut illo modo physice præmoveat ac prædeterminet voluntatem hominis, quod facere etiam posse fatemur, eo ipso illi necessitatem infert, ita ut actus inde proveniens, licet voluntarius sit, non sit liber nec proprie humanus, ac proinde ad effectus morales meriti vel demeriti non serviat. Quapropter non potest talis motio gratiæ attribui, quia hæc non excludit rationem meriti aut effectum, cum potius ad hoc detur ut homo per illam vel humano modo disponi, vel aliquo etiam modo mereri possit. Eademque ratione non potest concursus Dei generalis cum voluntate in tali motione consistere, cum hic concursus nec libertatem, nec meritum vel demeritum excludat.

*Afferuntur Scripturæ testimonia quæ sententiam de vocatione congrua confirmant.* — Duobus modis potest hæc sententia suaderi: primo, impugnando ex Scriptura physicam prædeterminationem, et inde a sufficienti partium enumeratione inferendo necessitatem vocationis congruæ. Secundo, directe ostendendo ex Scriptura congruam vocationem. Neutrum autem horum invenitur in Scripturis, propriis et formalibus verbis expressum, quia isti termini prædeterminationis physice aut vocationis congruæ in Scriptura non reperiuntur, sed ab Scholasticis ad rem explicandam, quam unusquisque in Scriptura contineri putat, inventi sunt. Illud tamen obiter circa has voces adnotabo, nomen prædeterminationis non solum in Scriptura, verum neque in Patribus habere ullum fundamentum; nomen autem vocationis congruæ saltem habere fundamentum in Patribus, præsertim Augustino, ut mox videbimus; et in Sacra Scriptura etiam esse insinuatam, nam vocationis nomen frequens est in illa. Auxilium etiam opportunum Paulus, ad Hebr. 4, commendat, quod eandem vim habet quam congruum auxilium. Ad tria ergo vel quatuor capita possunt testimonia reduci. Unum est generale de libertate humanæ voluntatis; et duo specialia: unum directum, de potestate bene operandi cum gratia, eique resistendi; aliud quasi indirectum, de origine mali seu peccati. Quibus addi potest argumentum ab auctoritate negativa, quod in hac causa non parvum momentum habet.

*Primum caput testimoniorum.* — *Libertas humanæ voluntatis.* — Primo igitur ac præcipue probanda est hæc sententia illis testimoniis Scripturæ, quibus libertas arbitrii in-

ceditur, et in hoc ponitur ut in manu hominis, id est, in ejus potestate sit, ad unam vel alteram partem se inflectere. Si enim homo prius a solo Deo determinatur, et deinde ipse operatur ad quod jam determinatus est, neque aliud vel aliter operari potest, plane non se inflectit, nec in ejus potestate est ad hoc vel illud manus extendere, sed ad hoc tantum ad quod determinatus est. Hoc ergo modo magnam vim habent illa verba Ecclesiast., cap. decimo quinto: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita et mors; bonum et malum, quod placuerit dabitur illi.* Nec dicit Catholicus hæc dicta esse de homine ante lapsum, nam certum est de fide hanc libertatem non fuisse amissam propter hoc peccatum, imo ita esse homini connaturalem, ut non possit per peccatum prorsus auferri, licet valeat infirmari. Quomodo ergo verum est hominem relinqui in manu consilii, si, postquam consuluit, etiamsi consilium a gratia perfectum sit, non habet in potestate suæ voluntatis determinari ad sequendum vel refutandum consilium, sed debet ab alio prius determinari, et deinde determinationem necessario sequi sine potestate resistendi. Item verbum, *porrigere*, quid aliud quam determinationem indicat? Cum vero additur, *ad quod volueris*, clare demonstratur ipsammet determinationem esse indifferentem, et ab ipsomet volente ab intrinseco determinari.

Denique particula, *si volueris*, demonstrat plane negotium hoc determinandi se ad hoc vel illud, a voluntate ita intrinsece pendere, ut a nemine sine illius indifferente cooperatione, id est, quæ sit sub dominio ac potestate ejus, fieri possit. Quapropter omnia loca Scripturæ, in quibus promittitur, vel postulatur ab homine sub simili conditione, eandem veritatem confirmant. Hujusmodi est illud: *Qui vult venire post me*, et illud: *Non habens necessitatem sed potestatem habens suæ voluntatis.* Et innumera sunt similia loca in Scripturis, quæ demonstrant hominem lapsum retinere eandem facultatem incligandi suam voluntatem ad hanc vel illam partem, eaque uti cum vult. Quod autem hæc facultas ejusque usus extendatur etiam ad supernaturales actus, certissimum est, tum quia Sapiens loquitur de primo homine, qui cum tali facultate conditus est; tum quia loquitur generaliter et in-

differenter; tum maxime ex verbis illis: *Si volueris mandata servare, conservabunt te*, quod de collectione præceptorum omnium, etiam supernaturalium, necesse est intelligi; nam omnium observatio ad salutem necessaria est, nam qui in uno offendit, factus est omnium reus. Quod etiam illa verba confirmant: *Ante hominem vita et mors*, nam vita animæ in gratia consistit.

Quocirca verbum illud: *Reliquit eum in manu consilii sui*, sicut non excludit divinam providentiam, nec concursus Dei circa actus naturales voluntatis, ita non excludit auxilia gratiæ ad supernaturales actus, ut certum de fide est. Nam in illis verbis omnibus supponitur in homine potestas ad omne id quod in consilio, voluntate ac electione ejus relictum est. Hæc autem facultas maxime provenit a gratia; ergo supponitur homo non solum cum naturæ viribus, sed etiam cum viribus gratiæ, quantum necesse est ut possit bonum pietatis eligere, et omnia mandata implere; ergo ex vi illius verbi, *reliquit*, excluditur talis prædeterminatio, etiam ab operibus gratiæ. Quid enim aliud potest virtute illius verbi excludi aut negari de Deo, respectu actionis quam circa voluntatem humanam habet per suam providentiam, etiam supernaturalem, et gratiæ? Dicitur solum excludi determinationem illam naturalem ad unum, quam ab intrinseco habent agentia non libera, non tamen supervenientem determinationem ab ipso Deo. At profecto hæc non est minor necessitas, et quodammodo sapit violentiam, quia, etiamsi ab extrinseco sit illata illa determinatio, tamen sine usu libertatis recipitur, atque adeo postquam fit, tam necessario recipitur, ac si ab intrinseco haberetur, et aliunde repugnat innatæ indifferentiæ, ac dominio voluntatis in suum actum, et violenta satis est. Multo vero major vis infertur prædictis Scripturæ locutionibus, dum asseritur Deus hanc vim inferre voluntati. Quomodo enim eam relinquit in manu consilii, ut ad quod voluerit porrigat manum, si in singulis actibus suis a solo Deo prædeterminatur, et sic prædeterminata nihil aliud velle potest, præter id ad quod se invenit determinatam, plane non video.

*Secundum genus testimoniorum.* — Secundo, probatur hæc veritas illis testimoniis, in quibus docemur Deum ita vocare peccatores, eisque ut consentiant tam sufficiens auxilium offerre, ut respondere, aperire et consentire valeant, et merito eorum culpæ tribuatur si

vocati non veniunt aut resistunt; nam, ut supra ostensum est, in auxiliis gratiæ quæ effectum non consequuntur, talis sufficientia salvari non potest, posita necessitate præviæ determinationis, quæ in potestate hominis non sit, sed ex mera Dei voluntate ac decreto pendeat. Talia sunt loca sequentia: *Ego sum ad ostium et pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum*, Apocalypsis tertio: *Vocavi, et renuistis*, Proverbiorum duodecimo: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psalm. nonagesimo quarto. Interrogo enim an hæc vocatio vel pulsatio Dei habeat immediatum ordinem ad responsionem et consensionem liberi arbitrii, ita ut non sit necessaria alia præmotio media, quæ a solo etiam Deo fieri debeat, vel solum habeat ordinem mediatum et remotum, quia necesse est ut intercedat motio solius Dei prædeterminans voluntatem. Si dicatur primum, ut plane indicant prædictæ locutiones, hoc est quod intendimus, quia ex vi talis vocationis voluntas non est determinata ad consensum; quin potius sæpe resistit ut verba ipsa præ se ferunt, et illa Matth. vigesimo tertio: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Si vero dicatur secundum, immerito postulatur ab homine sic pulsato ut respondeat, quia, nisi ipse Deus sibimet aperiat solus, et prius et independentem a libero arbitrio quoad prædeterminationem illam, non potest homo pulsanti Deo respondere. Quid etiam mirum est quod noluerit aut renuerit, si determinatus non fuit ad volendum, vel (quod gravius est) si determinatus fuit ad nolum, ut isti etiam affirmant?

Neque horum testimoniorum evidentiam fugiunt, duplicem vocationem in hoc sensu distinguentes, quarum alia includit divinam prædeterminationem, aliam non includit, et illas Dei querimonias intelligi volunt de vocatis hoc posteriori modo, non de priori modo vocatis, nam illi non renuunt, neque resistunt; illas vero promissiones: *Si quis aperuerit, intrabo ad illum*, intelligi de priori modo efficaciter vocatis. Hoc enim satisfacere nullo modo potest; nam imprimis determinatio illa quæ nec divina illuminatio est, nec inspiratio, non potest ad vocationem pertinere; quia vocatio interna, de qua præcipue loquimur, tota consistit in his divinis inspirationibus et illuminationibus, quibus et ignorantia tollitur et infirmitas juvatur, dum apparet quod latebat, aut suave fit quod non delectabat, ut libro secundo